



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

3. Excusationes restituendi famam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

spol. d. 21. quest. 68. sed melius id prudenti iudicio relinquendum. Dixi (moraliter certò) nam si sit dubium, restituenda est fama, & quidem modo, quo mox dicam §. 4. n. 3. quia tunc certa est infamia, & dubia excusatio.

15. Decimò, Quando post infamiam à te alicui oblata, cepit is laborare publica infamia in eodem, vel simili crimine, de quo illum coramali, juxta supradicta §. 4. n. 20.

Infamatio reciproca.

16. Undecimò: Quando duo se invicem infamarunt Probabile enim est, ex Less. l. c. d. 25. Sylv. Malder. apud Dian. p. 3. tr. 3. ref. 30. Bon. d. 2. de rest. g. 4. p. ult. n. 1. & tunc neutrum ex Iustitia teneri ad famam restitutionem: quia, quando iura sunt equalia, censetur utraque pars satisfacta, & tacitè invicem se compensasse. Altero autem restituente, teneri alterum restituere, palam est. Ut etiam, si infamiae fuerunt notabiliter inaequales, excessum ab altero debere, eo meliori modo, quo potest, restitui, ne sit debitum.

17. Adverte hic duo. Primò, me non afficere, licere tibi alium infamare, solum, quia tibi infamiam intulisti; hoc enim esset vindictam sumere, quod ex Less. l. c. n. 13. non licet privato, solum enim aio ex suppositione equalis infamiae ex utraque parte factae (utque scilicet) neutrum ad restitutionem obligari. Adverte secundò, si propter infamiam secutum est alteri damnum reale, hoc esse restituendum: nisi fortè ex utraque parte fuerit æquale damnum illatum; tunc enim fieri poterit compensatio; vel si fuerit inaequale, facienda solum erit restitutio excessus.

Frustranea Restitutio.

18. Duodecimò: Excusatur à restituenda fama is, qui prudenter novit, audientes nullo modo fidem habituros ei, qui se à detractatione facta retractat. Ratio est, quia tunc retractatio esset superflua. Certè is saltem laudare conetur infamatum, ut sic aliquo modo refarciat infamiam. Si dubium sit, an retractatio sit profutura, omnino exhiberi debet, quia in dubio melior est conditio eius, qui iniuste à bona fama deturbatus est.

Damnum proprium.

19. Decimotertio: Excusatur is, qui magnum damnum incurreret, si restitueret. Id quod, ne cretetur, quatuor dictis explicò: modò recolas quatuor item esse bonorum ordines, videlicet, supremi ordinis esse bonum animae; tum corporis, id est, vitae, vel membrorum; deinde famae, adde & honoris; denique pecuniae.

20. Dico primò, infamantem teneri ex iustitia restituere famam cum equali sua famae; seu alterius equalis damni periculo, vel paulò maiore.

21. Dico secundò, non teneri cum notabiliter maiore, quòd scilicet arbitrio prudentium appareat longè maius, quàm damnum alterius famae. Ita Mol. tr. 4. d. 47. Less. l. 2. c. 1. d. 15. Azor. t. 3. l. 5. c. 9. g. 12. Val. t. 3. d. 6. g. 6. p. 7. Salon. Navarr. alique apud Bonacin. de rest. d. 2. g. 4. p. ult. n. 12. Ratio huius, & præcedentis dicti est, quia Iustitia commutativa, quando agitur de equali, vel parum maiore damno, exigit, ut potius illud patiatur, qui damnum iniuste intulit, quàm innocens: At, quando damnum est longè maius, daretur ultra aequalitatem, quam exigit Iustitia commutativa, ad quod nemo rationabiliter obligari potest; obligaretur enim ad damnum longè supra ac debet. Hinc meritò colliges, te non teneri ad restitutionem famae cum propriae vitae periculo, vel magnae infamiae; infamato nihil, vel parum in eadem vita, vel fama periclitante: tunc enim solum teneris refarcire damna realia, si quae per infamiam tuam proximus per se est passus. At si ex infamia, quam falsò imponendo alteri intulisti, vitae, seu notabilis fa-

mae periculum is, vel alius subeat; vel notabile damnum recip. impendatur tunc profectò teneris restituere famam cum tuo equali vita discrimine, quando potius ter putas tuam detractationem profuturam innocenti Ratio est, quia Iustitia, ut dictum est, requiritur periculo equali, potius subeat illud damnum nocentore quàm innocens, Vnde testibus falsis de quibus vide Tr. 4. cap. 8. §. 9. n. 6.

22. Dico tertio, non teneri quemlibet restituere famam cum iactura boni superioris ordinis, v. g. animae, & vitae, seu membrorum. Ita Turrian. Malder. alique apud Dian. part. 3. tr. 5. ref. 30. Ratio huius dicti est in ratione præcedentis conclusionis, quia scilicet superioris boni est longè maior, quàm iactura inferioris; Cum ergo salus propriae animae, & vitae sit longè, immò incomparabiliter maior, quàm fama alterius huius restitutio non est saluti illorum præferenda, quae dixi, cum de restitutione ex homicidio.

23. Dico quartò, probabile esse, si non potest restituere famam iniuste ablata, te non teneri compensare pecunià, etiam si infamia notatus pecunià sibi sibi petat. Ita Lam. Filliuc. Turrian. Navarr. alique apud Dian. p. 3. tr. 3. ref. 30. Ratio est, quia restituere tenetur, nisi quod ablatum est, & quod eodem genere: Iustitia enim solum exigit, ut sit aequalitas in eo, in quo damnum alter recipit, ergo in eodem genere non alio. Adde, fieri non posse aequalitatem Iustitiam intencam, nisi detur æquivalens, at pecunià æquivalere famae. Lege Lessium, l. c. d. 16. qui ait, ut solum casu teneri in pecunià, quando qui potest in eodem genere restituere, sed rollet, & quando accedat sententia Iudicis infamantem cogens ad restitutionem, satisfaciendum in pecunià.

24. Inquires: Dictum est, infamantem teneri ad restitutionem famae cum suo pari, vel parum maiore damno, esse id universaliter verum? Respondetur: infamante cum culpa gravi. At eum, qui vel sine culpa, vel omnino inculpate infamator fuisse quod proximus n. 7. & 8. solum obligarem, quando non noceret damnum notabile. Colligo ex Lessiol. c. d. d. 2. n. 118. & ex Molina, ac Rebel. cit. supra. n. 8. l. 2. d. 10. est, quia ipsum lumen rationis dicat, minus agendum cum infamante sine culpa, quàm cum culpa gravi. Certè qui ex officio, v. g. Medici Hospitalis detur vulnerato, tenetur ex Iustitia, & tamen non tenetur cum tanto rigore, quanto tenetur is, qui iniuste intulit: Medicus enim ex Less. ibi, & c. 13. n. 7. tenetur cum equali suo damno, quia non obligatur in medendum ex culpa, sed ex contractu; & ex alia parte homines suspicientes eum modi ordinaria officia, non censentur, cum tanto rigore se velle obligare. Vulnerator autem tenetur cum equali, immò cum paulò maiore, quia obligatur ex iniusta actione. Cum ergo in nostro infamator supponatur non commisisse culpam gravem, quamvis teneatur ex iustitia, ut dictum est, non tamen cum tanto rigore tenebitur, &c.

§. IV. Qua ratione fama sit restituenda.

1. Vel imposuisti falsum, vel verum crimen publicum: Si prius, debes coram iisdem affirmante falsum dixisse, etiam si in tuum equali, vel paulò maius dedecus id vertatur. Dico (aequale, vel paulò maius) propter modò dicta à n. 19. Nam propter eandem rationem Villalobos in summ. 2. tr. 11. d. 37. n. 1. ait, virum gravem, Prælatum, v. g. non obligari dicere se mentium esse: id enim multo ipsi esset dedecus. Sufficiet ergo inquit, si is reddat famam eo modo, quo reddere obligatur ille, qui infamavit, verum crimen publicum palando; quod iam subdo.

2. Si enim posterius, hoc est, crimen verum occultum evulgasti, ut poteris equivocatione, ut si dicas, quod hominem crimen illud nequaquam patrasse, intelligitur